

nullis impedimentis iuris naturalis secundarii dispensare conversos consuevit, dum rata habet coniugia prius in secundo affinitatis gradu. Ergo in quacumque hypothesis patet obiectam difficultatem evanescere.

His omnibus perpensis circa utriusque sententiae tum rationes tum difficultates, videtur sententiam, quae affirmat infidelium conversorum ad christianam fidem coniugium ad sacramenti rationem evehi, longe verisimiliorem ac solidiorem opposita esse. Nam sententia negans unice fere innititur doctrinae Cane de distinctione reali inter contractum et sacramentum in nuptiis christianis, et de sacerdote huius sacramenti ministro; quae doctrina cum ex iis, quae in primo libro disceptavimus, vix aut ne vix quidem a cordato theologo uti probabilis nunc adstrui possit, pronum est inferre, eam labili niti fundamento. Contra vero qui sententiam affirmantem tuentur, praeter quam quod longe facilius ab adversariorum difficultatibus se expediunt, solidioribus, ut nobis videtur, principiis se communiunt. Huic favet communis theologorum et canonistarum doctrina, ac in eandem se propensum satis aperte Benedictus XIV. profitetur. Huic proinde et nos adstipulamur.

Licet vero parum referre videatur, ad rei substantiam quod attinet, sive dicatur cum Bellarmino aliisque compluribus minime requiri consensus expressam renovationem post baptismum, ut infidelium coniugium naturam induat sacramenti; sive cum Laymann, Kugler aliisque non paucis huiusce renovationis necessitas ad eundem finem admittatur, illud certum exploratumque est, Ecclesiam, ipsis adversariis fatentibus, expressam eiusmodi renovationem ab iis non exposcere conversis, neque eos adigere ad recipiendam sacerdotis benedictionem; et si quando eos ad illam recipiendam hortatur, expresse tamen monet, eam minime requiri ad coniugii firmitatem (21). Annotat

(21) Sane in simili casu, cum petitum fuerit, utrum qui non receperunt sacerdotis benedictionem, eam supplere deberent, responsum fuit: « Fideles » hortandos esse ut... eam petant a sacerdote, qui tamen illis declarabit

praeterea Bossius cum Ricciolo, aetate sua Romae minime adhibitum fuisse ritum benedictionis nuptialis erga coniuges ad fidem conversos (22).

Et merito: siquidem, ut paulo ante animadversum est, cum iugiter seu moraliter perseveret in his coniugibus consensus ille, quo primum ipsorum nuptiae valide ac legitime celebratae sunt, nulla apparet ratio, quare post baptismum renovari debeat. Virtualis siquidem ille consensus materiam ex se praebet sacramento conficiendo et formam, qua initum fuit prius in infidelitate coniugium. Perinde enim est ac si hic et nunc contraheretur more christiano.

Quod demum spectat ad corollaria, quae ex alterutra sententia proveniunt, haec sunt potissimum: 1. quod in sententia negante vigeat quidem in conversis matrimonium, sed ut simplex naturalis contractus, seiunctus a sacramenti ratione; 2. quod eiusmodi coniuges perpetuo debeant gratia sacramentali destitui, ac proinde gratiis illis actualibus, ad quas vi sacramenti ius habent. Contra vero, in sententia affirmante, utriusque, contractus scilicet et sacramenti, ratio non desideratur, ac propterea fideles hi coniuges gratia sacramentali fruuntur una cum auxiliis actualibus illi adnexis.

Tertia succedit quaestio: an ratio sacramenti ex parte fidelis habeatur, si forte non uterque, sed alter tantum coniugum convertatur, vel si ex Ecclesiae dispensatione fidelis cum infideli matrimonium ineat. Quoniam vero prioris casus solutio magna ex parte pendet ex posterioris solutione, ex hac incipimus inquirendo, num sacramenti ratio agnoscenda sit in

» huiusmodi benedictionem ad validitatem matrimonii minime pertinere. »
Apud Moser in *Collect. declaration. ac decretor.* n. IX.

Praesto mihi praeterea est decretum congreg. S. off. 5. Febr. 1780. in quo haec habentur: « Voluit Sanctitas sua (Pius VI.) adhortandos » fideles, ut missionario reduce, sese sistant, ab eoque benedictionem petant, praevia tamen facta declaratione a missionario, benedictionem huiusmodi ad validitatem matrimonii nequaquam pertinere. »

(22) *De contract. matrim.* apud Kugler q. VII. n. 405 et 404.

coniugio, quod fidelis contrahit cum infideli. Nihil porro ad eam dirimendam nobis suppetit sive ex sac. litteris, sive ex apostolica traditione; theologi vero et in hoc valde inter se dissentiunt; adeoque coniecturis plus minus suadentibus indulgeamus necesse est, nec quicquam certi constituere poterimus.

Verum quod magis mirari subest, illud est, quod theologorum plerique, qui inficiati sunt infidelium coniugia, cum ii christianam profitentur religionem ac baptisate tinguntur, induere sacramenti naturam, ut plurimum adstruant sacramenti rationem haberi ex parte fidei, quae cum infideli coniungitur (23). Contra vero negant passim, in eiusmodi coniunctione sacramentum reperiri in parte fidei theologi illi, qui agnoscunt sacramentum exurgere ex infidelium contractu, cum baptismum suscipiunt (24).

Utrique contententes, ut innuimus, dimicant rationibus probabilibus, quia re ipsa argumenta non desunt, quae saltem specie tenus alterutri placito faveant. Nos quidem tuto disceptationem hanc dimittere possemus, nisi necessitudinem quandam haberet cum agendi ratione, quam circa eiusmodi coniugia tenet Ecclesia, quae obiectum constituit lucubrationis nostrae. Siquidem certum est identidem Ecclesiam dispensare in hisce coniunctionibus ab impedimento disparitatis cultus: certum praeterea est eam haec ipsa coniugia non benedicere; certum denique est ipsam diversimode omnino se gerere cum iis, qui ita coniuncti sunt, ac se gerat cum infidelibus coniugatis: hos enim quandoque solutos vinculo declarat, illos nunquam.

Interim haec ipsa agendi ratio erga hos coniuges nobis viam quodammodo sternit ad adoptandam sententiam, quae affirmat huiusmodi coniugia ex parte fidei habere sacramenti rationem.

(23) Ita Eckius, Soto, Tournely, Collet, aliique quos Collet allegat n. 267.

(24) Ita Vasquez, Sanchez, Pontius, Kugler cum aliis ab eodem adductis q. VII. n. 415.

Scilicet rite omnibus perpensis verior nobis videtur sententia affirmans eo ipso, quod magis cohaerens sit doctrinae, quam amplexi sumus de contrahentibus sacramenti huius ministris, et practicae Ecclesiae agendi rationi.

Quam ut adstruamus, sic incedimus: sententia illa praeferenda videtur, pro qua gravia militant rationum momenta; cui favere videtur Ecclesiae praxis, quaeque nullis solidis argumentis conculcitur. Talis porro est sententia affirmans in mixto coniugio fidelis cum infideli contrahentis sacramentum haberi.

Sane, prima ratio, quae pro hac militat sententia ea est, quae desumitur ex verbis Apostoli I. Cor. VII. 14. « Sanctificatus est » vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier » infidelis per virum fidelem; » Quatenus nempe alteruter concurrat et cooperatur ad alterius conversionem; quod quidem fieri debet verbo et exemplo, mutua dilectione, patientia, caeterarumque virtutum exercitio, quae tali statui maxime conveniunt. Iam vero, etiamsi cum non intervenit sacramentum, Deus supplere gratis suis actualibus dicendus sit ad haec omnia rite explenda, attamen nemo negaverit via ordinaria in coniugatis gratias illas actuales ex gratia sacramentali profluere, quae ad ipsas ius tribuit. Absonum porro videtur, eos, qui legitime contrahunt per dispensationem Ecclesiae, ex qua disparitatis cultus impedimentum constitutum est, toto vitae suae tempore gratia adeo opportuna destitui.

Quod quidem confirmatur ex primitivorum fidelium conditione; nam spectata fidelium paucitate, qui inter infideles commorabantur, spectatisque parentum ac rei familiaris complicationibus, saepe adigebantur puellae praesertim nuptui tradi infidelibus; neque Ecclesia pro temporis illius angustiis vetuit absolute illa coniugia (25). Non est vero censendum istos omnes sacramentali gratia in eo statu destitutos fuisse.

(25) Sane non desunt exempla quamplura sive mulierum fidelium, quae nupserunt viris ethnicis, sive contra fidelium virorum, qui se nuptiis copularunt cum infidelibus mulieribus. Praesto sunt exempla Eunicis pia ac fidelis foeminae, quae se iunxerat cum ethnico viro ex I. Tim. I. 5. collat. Act. XVI. 1. S. Caeciliae cum Valeriano, S. Nonnae cum Gregorio seniore, S. Monicae cum Pa-

Insuper Ecclesia aliam omnino rationem agendi in his coniugiis tenuit, atque in coniugiis in infidelitate initis. Siquidem ea tanquam prorsus indissolubilia habuit, adeo ut quamvis pars fidelis fuisset ab infideli derelicta, aut quamvis infidelis gravissimis molestiis partem fidelem afficeret fidei causa, seu non consentiret pacifice ac sine iniuria Creatoris cohabitare cum parte fidei, nunquam tamen Ecclesia permisit, ut abrumperetur coniugium quoad vinculum, atque ad nova vota pars fidelis, vivente adhuc coniuge infideli, transiret; secus ac statuere consuevit circa coniugia in infidelitate contracta, ut suo loco vidimus. Iam vero diversae adeo huius agendi rationis quanam probabilis causa assignari poterit, nisi quod Ecclesia veluti contractum sacramentalem spectarit coniugium, quod ex parte fidei ac baptizata initum fuerat legitime cum infideli?

Sane 14. Iunii 1708. insequens dubium propositum est: « Nonnunquam foeminae christianae ex dispensatione nuptias » contrahunt cum viris infidelibus, a quibus postea abiiciuntur » et prorsus deseruntur; hae vero foeminae sic a viris reiectae, » quod continere se nequeant, sponte nubunt, vel aliquando » contra propriam voluntatem a parentibus cum altero infideli, » qui baptismum suscipere paratus est, vel cum christiano nuptui collocantur. Quaeritur, num istud secundum matrimonium legitimum sit et validum? » Sac. congreg. sanctiss. inquisitionis respondit: *Negative*. Quare? nisi quia pro certo assumpsit, vel saltem uti probabilius habuit, eiusmodi matrimonium ex parte fidei sacramentum esse, quo fit, ut coniugium prorsus indissolubile evadat? Nam si mixtum coniugium spectasset ut merum contractum naturalem, quemadmodum in

tricio, S. Clotildis cum Clodoveo, praeter illas, de quibus refert Beda lib. I. *Histor. Anglor.* c. 23. et lib. II. c. 9. de Bertha, Edelburga, religiosis mulieribus cum ethnicis matrimonio iunctis, aliisque passim per id temporis, adeo ut S. Hieronymus lib. I. *Contr. Iovinianum* scripserit: « Nunc pleraeque (christianae mulieres) iunguntur gentibus » Utique Ecclesia has nuptias non probabat, imo Patres eas carpunt. Ast aliud est improbare, aliud irritas facere, quod illa aetate certe non fecit. Quoad leves difficultates, quae contra opponi possent. Cf. Collet n. 247 seqq.

pari casu dissolvit connubium infidelium, ita et hoc pariter dissolveret.

Altera ratio pro hac sententia petitur ex eo, quod nulla appareat gravis difficultas, quominus verum agnoscat ex parte fidelis coniugis sacramentum. Nam de *capacitate* baptizati non est quod dicamus, cum ea in confesso sit apud omnes; itaque unica difficultas reperiri posset sive ex parte ministri, qui infidelis censi nequit, sive ex natura contractus et sacramenti, quod in individuo consistit, nec claudicare potest, ut scholis loquendos est. Aiunt itaque: aut in utroque contrahente reperitur sacramentum, aut in neutro; cum autem in infideli sacramentum existere non possit, neque in coniuge fidei haberi potest; eo vel magis quod sacramentum rationem sequatur contractus, cui nisi utraque pars concurrat, exurgere nequit.

At vero evanescet eiusmodi difficultas, si in mentem revocetur unumquodque sacramentum habere quidpiam sibi proprium, quod aliis non convenit. Itaque ut de ministro prius disseramus, nihil impedit, quominus in casu nostro sacramenti minister possit esse pars contrahens etsi infidelis, nam hoc ex necessitate provenit, ad eum modum, quo etiam infidelis in necessitatis casu potest esse baptismi administer (26). Quod vero attinet ad contractus et sacramenti naturam, dicimus alterum ab altero distingui debere. Nam quamvis verissimum sit *re* unum idemque esse contractum et sacramentum, *cogitatione* tamen alterum ab altero distinguitur, et ita ut contractus natura ac ratione

(26) Non desunt qui existiment in sacramento matrimonii unumquemque contrahentium sibi ipsi hoc sacramentum administrare, cuiusmodi inter caeteros est Scotus d. 26. q. 1. n. 15 quia, ut idem disserit, etsi unus contractum adaequate conficere non potest, cum ad contractum omnem duorum in idem consensus requiratur, potuit tamen sic a Deo constitui matrimonii sacramentum, ut quisque illud sibi ministraret, ne vel eius gratia per alterius nequitiam privaretur, vel a peccatore sacramentum accipiendo, iniquitati eius cooperaretur. In hac autem hypothesi contrahens uterque erit quidem *minister integritatis*, inquit Henno pag. 486. *non tamen indivisibilitatis respectu sacramenti, licet talis sit respectu contractus*. Apud Collet n. 275. Verum necesse non est ad hasce angustias nos recipere.

anterior sit sacramento, quod ex illo, dum actu conficitur, seu ex eo instanti, quo perfectus est, exurgit. Hinc fieri quidem nequit, ut habeatur contractus, quin per modum unius duo in aliquid consentiant, at nulla est repugnantia quod ex duobus contrahentibus alter, ob eius *incapacitatem*, sacramentum non recipiat, recipiat vero ille, qui ad sacramentum idoneus est. Quod pluribus exemplis illustrari posset, siquidem opus esset. Sic ex eadem humo eodemque humore, quibus plantae vivificantur, altera crescit et foecundatur, quia capax est, altera arescit, quia mortua est et infoecunda. Ex duobus quibus uno eodemque actu confertur absolutio, alter gratia vivificatur sacramentali, alter vero nequaquam, dispositionis eiusdem defectu; et ita porro.

Quum vero istae praecipue sint difficultates, quibus haec thesis urgetur, nec tamen eisdem quatiatur, iure colligimus, hanc ceu verioremi admitti posse.

Ast quid sentiendum de matrimonio eorum infidelium, ex quibus alter fit christianus et baptizatur, altero coniuge in infidelitate permanente; evadet ne ex parte conversi sacramentum eiusmodi coniugium? Resp. *Negative*, quia alioquin non posset ullo in casu dissociari; attamen certum est, quod si infidelis post aliquod tempus nolit amplius cum parte fidei sine iniuria Creatoris cohabitare, possit coniugium solvi, ita ut fidei novas valeat contrahere nuptias. Adeoque dispar est ratio inter eum, qui legitima interveniente dispensatione matrimonium contrahit cum infidei, et eum, qui ex infidelitate ad fidem convertitur. Illius enim coniugium est plane indissolubile, istius vero matrimonium dissolvi potest, adeoque nequit in isto sacramento ratio agnosci. Verum haec clariora evadent ex iis, quae in insequenti articulo mox dicturi sumus.

ARTICULUS II. — Quaestio expenditur iuridica de potestate ecclesiastica in Matrimonia infidelium post unius vel utriusque coniugis conversionem, nec non in Matrimonia fidelium cum infidelibus.

Quemadmodum tripartita fuit quaestio theologica de natura matrimonii ante et post utriusque vel alterutrius infidelis coniugis baptismum, ita etiam erit tripartita quaestio iuridica quam modo subnectimus de Ecclesiae hac in re potestate ac legislatione.

Tria enim potissimum sunt, quae in materia, quam versamur, potissimum quaerenda videntur: scilicet quidnam Ecclesia vel statuerit vel declaraverit, aut saltem sua agendi ratione insinuet primo quidem relate ad solutionem coniugiorum, dum alter tantum ex infidelibus coniugibus convertitur; deinde relate ad ratihibitionem vel solutionem coniugiorum, quae cum aliquo impedimento in infidelitate contracta fuerant; denique relate ad dispensationem ab impedimento disparitatis cultus, quae fidei quandoque conceditur, ut matrimonium inire possit cum infidei.

Ad primum quod attinet, haud dissolvi infidelium coniugium per baptismi susceptionem ratum est apud omnes iuxta receptum illud iuris effatum: *Crimina in baptismo solvuntur non coniugia* (27), quod innititur Apostoli verbis: « Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam (28). » Ex quibus colligi facile potest habitationem fidei coniugis cum infidei post conversionem secluso periculo, licitam esse prout reipsa primis Ecclesiae seculis non modo licita, sed insuper necessaria quandoque fuit, quae postea in arbitrio fidei conversi relicta est, nec nisi cum Iudaeis in nonnullis regionibus fuit demum prohibita (29).

(27) Sic. in conc. Meldensi celebr. an. 845. cap. 1. habeturque cap. *Si quis*. 28. q. 2. et iterum. in cap. *Numquid* 28. q. 1. ex Innocentio I. ep. 22. et in cap. *Quanto de divortiis*; et cap. *Gaudemus* ex Innocentio III.

(28) I. Cor. VII. 12.

(29) Cf. Pontium op. cit. lib. VII. c. XLVIII. ubi de hoc argumento copiose agit.